

sub septentrionum regiones frigidas, non modo non laborant immutatione loci ualitudinibus, sed etiam confirmantur. Quare cauendum esse uidetur in moribus collocandis ab iis regionibus, quæ caloribus, flatus ad corpora hominū possunt spargere. Nam quia ex principiis, quæ græci σοιχ & αι appellunt, omnia corpora sunt composita, idest ex calore, & humore, & terreno, & aere, & his mixtionibus naturali temperatura figurantur omnium animalium in mundo generatim qualitates. Ergo in quibus corporibus cum exuperat è principiis calor, tunc inter facit, dissoluitq; cætera feruore. Hæc autem uitia efficit feruidum ab ærtis partibus cælum, cum insidit in apertas uenas plus q̄ patitur, è mixtionibus naturali temperatura corpus. Item si humor occupauit corporum uenas, imparesq; eas facit, cætera principia ut à liquido corrupta, diluuntur, & dissoluuntur compositionis uirtutes. Item è refrigerationibus humoris, uentorum, & aurarum, infunduntur uitia corporibus. Non minus aeris, etiamq; terreni, in corpore naturalis compositio augendo aut miuendo, in firmat cætera principia, terrena, abi plenitate, aerea, grauitate cæli. Sed si quis uoluerit diligentius hæc sensu percipere, animaduertat, attendatq; naturas auium, & piscium, & terrestrium animalium, & ita considerabit discrimina temperaturæ. Aliam enim mixtionem habet genus auium, aliam piscium, longe aliter terrestrium natura. Volucres minus habent terreni, minus humoris, caloris temperata, & aeris multum. Igitur leuioribus principiis compositæ, facilius in aeris impe-